

BARTHOLO-

mæi Pitisci Grunbergensis


TRIGONOMETRIÆ

LIBER PRIMVS.

De generibus & affectionibus Triangulorum.

I. Trigonometria est doctrina de dimensione Triangulorum.

II. Triangulum est figura tribus lateribus tres angulos comprehendens: *Vt sunt figura ABC & DEF.*



III. Latera duo quælibet sunt crura anguli à se comprehensi: tertium, basis. *vt latera AB & AC sunt crura anguli BAC: latus BC est eiusdem anguli basis.*

IV. Latus vnumquodq; dicitur subtendere angulum sibi oppositum. *Vt latus AB subtendit angulum ACB. Latus AC subtendit angulum ABC. Latus BC subtendit angulum BAC.*

V. Latera maiora maiores angulos subtendunt. *Subintellige: Et minora minores, & æqualia æquales. Veritas theorematis per se manifesta est. Demonstratur tamen apud Euclidem ad 18. & 19. p. 1. & apud Regiomontanum ad 42. & 43. prop. 3. Luculenter etiam confirmabitur infra per secundum axioma libri tertii, & per tertium quarti.*

A

VI. An-